

Frid. Ritschelii S u o

F. G. Schneidewin.

Dum Tu, mi Ritscheli, Bonnae in expoliendo T. Maccio Tuo, naviter, ut opinor, elaboras, nuper ego Bonna redux quasdam fabulas poetae Tui relegi, non ut emendationes corruptorum locorum extunderem, vel ut antiquitates scilicet expiscarer, vel sermonis Plautini elegantias artisve comicae rationes indagaturus, vel quamvis demum aliam ob causam, sed exhilarandi animi gratia. Inter quas Bacchides fuit. Qua in fabula una scena dudum me mire oblectavit ante alias. Idcirco nunc ego ut, si possem, studiosis Plauti societatem illius oblectationis impertirem, haec chartis illusi et ad Te misi. Versatur autem hoc totum specimen in una explanatione leporum Plautinorum. Nam donec Tu nobis restituas rem — et vereor ne cunctando restituas — de crisi Plautinarum fabularum publice disserere male tutum arbitror. Verendum quippe ne quis vulgarium exemplorum fundamentis secure confisus artificiose exaedificet ea, quae cito ruitura sint vanarumque opinionum commenta olim appareant. Igitur pruritus criticum ita perdomui, ut nusquam in alienam messem temere involaverim. Idque eo magis liberum fuit, quod haec quidem scena, cui ab Ambrosiano palimpsesto nihil salutis sperari posse Tu me certiore fecisti, pauca quaedam habet criticis dubitationibus obnoxia. Ego tuta malui et in enarratione scenae me continui. Interpretatio autem familiaris est, quae quandam loquacitatem non respuit.

Si vere poeta *γλυκὸν τραγῶδιον πέδ' ἄφθονον βορᾶν*, deliqui. *Ἄφθονον βορᾶν* Tu ministrabis et ut quam fieri poterit brevissimo tempore ministres, omnes latinorum litterarum

amantes mecum optant; ego cum γλυκὸν τραγάλιον occuparim, non impedio quominus ὕστερον πρότερον commisisse arguar, Ὀμηρικῶς. Vale, Ritscheli, et cura valetudinem atque Plautum.

Gottingae.

Scena Plautina.

Bacchides constat ab initio truncatam esse. In iis quae interciderunt, Pistoclerum iam cum duabus germanis meretricibus cognominibus de mandato Mnesilochi, amici sui, egisse patet ex his verbis amatae mulierculae ad Pistoclerum, scenae primae v. 26 sqq.

Quia, cum tu aderis, huic mihi que haut faciet quisquam iniuriam.

Tu prohibebis et eadem opera tuo sodali operam dabis,

Et ille adveniēns tuam me esse amicam suspicabitur.

Et Pistoclerus statim alloquitur Bacchides ut iam antea visas interrogatque quid in concilio consulissent. Eae autem id agunt, ut adulescentulum tandem custode remoto cereum in vilium flecti amoribus irretiant, unde extorqueant illam summam, qua Bacchis altera redimat libertatem a quodam milite Cleomacho. Pistoclerus vero postquam sat diu pectus contra blanditias meretricularum obfirmatum gestavit, tandem acre victus precibus se alteri mulieri mancipat eique operam dedit suam. Victoriae certa Bacchis sorori per mare nuper advectae cenam dare volt viaticam. Igitur Pistoclerus dimittitur opsonatum: ipsae lotum intro abeunt.

Sequitur scena leporibus lepidissimis referta. Pistoclerus cum splendido apparatu de foro rediens compellatur a paedagogo suo, Lydo, qui iamdudum tacitus discipulum secutus spectaverat, quas is res illo ornatu gereret. Eam scenam

poeta festive ita instituit, ut adolescentulum exhiberet desubito ex magisterio Lydi, severi hominis et antiqui, clapsam iam in omnem luxuriam praecipitem; Lydum contra quodam tantae mutationis et tam improvisae horrore perculsum vix verbis illius, vix suismet ipsius oculis fidentem ostenderet. Igitur contractae seria frontis nunquam explicans, quam ad id tempus sustinuerat personam graviter tuetur: ridetur a Pistoclero, qui memor dicti Hesiodii ἀντὶ τῆς μετέωρης καὶ λήθουσι sapienter monita magistro remetitur. Vt cum Menandro loquar, *χορὸς τὰ τροφεῖ' ἀπέδωκεν*. Ita *totius scenae sales perpetua quadam gravissimarum sententiarum παρορδία continentur*. Etenim Pistoclerus quicquid a Lydo litterarum didicit et quaecunq; vitae praecepta beatæ accepit, in ipsum per ridiculum retorquet praeceptorem. Sic cum sententias morales versibus memorialibus scite comprehensas discipulo ingerere soleret, Lydus, Pistoclerus eas in deterius vorsas iaculatur in ipsum; idem Lydus cum veteres fabulas heroicas, historias, mythologiam deorum, omnia denique antiquitatis decora enarrando liberaliter instituisset Pistoclerum eoq; ad humanitatem et morum probitatem conformasset, is iam longe secus vexat optimum senem monitori asper, eadem moneta in diversum usum recusa.

Id fugisse interpretes video. Quapropter paucis illustrabo. Idque eo studiosius faciam, quia ex hac scena accuratius explicata claram quandam lucem affundi institutionis puerilis apud veteres Graecos atque Romanos rationi putarim. Quod antequam aggrediar, removenda quaedam dubitatio est. Cavendum enim, ne quis nobis obiiciat, paedagogi fuisse eriles filios in ludos litterarios comitari; sic patrem Horatii filio ipsum custodem incorruptissimum omnes circum doctores affuisse: quare senem servom et ad quem institutio ipsa non pertinisset, vix satis apte ab iuvene ludos fieri potuisse. Nempe Plautus sui temporis consuetudinem secutus eundem comitem in palaestram et praeceptorem domi facit. Sic III, 3, 80. sibi *discipulum* perisse lamentatur Lydus; et, ne alia commē-

morem, ex III, 2, 27. apparet, cincticulo praccinctos apud magistrum in sella assedissee et libros legissee puerulos. Ita suo iure vapulare Lydum patet, neque poetam frustra ingeniosum fuisse.

Igitur missa versuum septenariorum volubilitate, qua prima scena decurrit, poeta Lydi sermonem ad iambos, sedatiores numeros, attemperavit. Is Pistoclerum increpans statim ab initio magistrum redolet muneris sui nunquam oblitum. Dicit enim:

Namque ita me di ament, ut Lycurgus mihi quidem

Videtur posse hic ad nequitiam adducier.

Probi enim praeceptores et qui captum iuvenilem bene nosset idem tenuerunt quod pater Horatii, qui insuevit filium, *ut fugeret exemplis vitiorum quaeque notando*. Nisi quod ille ex civibus Venusinis puero notis exempla sumebat; aliter decebat comicum paedagogum. Is ex historia populorum summos quosque homines deligit, quos vel imitandos vel fugiendos proponat. Nunc cum vel severissimum quemque et rigidissimum talibus deliciis ad nequitiam perducere posse significare vellet, eequem aptiorem poterat eligere Lycurgo Spartiata? quem adulescentulo tanquam perfectissimam prisci rigoris et abstinentiae speciem monstrare consuevisset. Multa saecula post eadem Lycurgi memoria similiter usurpata apud Ammianum Marcell. XXX, 39: *Lycurgos invenisse se praedicabat et Cassios, columina iustitiae priscae*.

Pistoclerus quaerenti Lydo, quo se nunc capessat cum tanta pompa, iuvenis subito paucorum verborum, satis superbe respondet verbulo *Huc*. Lydus coactus iterum quaerere, *Quid huc, quis istic habet?* Tum vero Pistoclerus, quasi iussus a magistro recitare nomina summorum deorum, simulata magnificentia constipatorum nominum ludens Lydum:

Amor, Voluptas, Venus, Venustas, Gaudium,

Iocus, Ludus, Sermo, suavis Saviatio.

Quod quam vim habeat neminem fugiet. Etenim memoriolae iuvandae caussa puta Lydum discipulo nomina deorum versibus

inclusa decantare solitum, prorsus ut Ennius nomina XII. deorum in duos versus coartavit hos:

*Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iovis, Neptunus, Volcanus, Apollo.*

Exacerbatus paedagogus, quem non praeterisset irrisio- nis ratio:

Quid tibi commercist cum dis damnosissimis?

Regerit Pistoclerus versum memorialem:

Mali sunt homines qui bonis dicunt male.

Tu dis necrecte dicis: non aequom facis.

Advertes facile haec colore scholastico tincta esse. Primum meminerimus, Lydum in ore habuisse versiculum illum:

Mali sunt homines qui bonis dicunt male,

moniturus discipulum, prave facere si quis bonis viris male- dicat. Deinde ne illud quidem aculeo caret, quod Pistoclerus illum versum sibi ad taedium usque in scholis moralibus di- ctatum necessariae cuiusdam consecutionis vinculis illigatum in Lydum argute aptat. Videlicet simul scholas dialecticas traducit. Nam tanquam cogitandi proloquendique regulis re- ligiose servatis ulitur propositione maiore: *Mali sunt ho- mines qui bonis dicunt male*, minore: *Tu dis necrecte dicis*, qui boni sunt; denique conclusiuncula: ergo *non aequom facis*. Sed ne sic quidem omnes responsi facetiae exhaustae sunt. Dixerat Lydus incuriosior, parodiae acerbitatem per- sentiscens,

Quid tibi commercist cum dis damnosissimis?

Nempe misello Lydo *deorum* memoria imprudenti exciderat tantumque abest ut nasutuli alumni acumen retundat, ut ipsius prave ingeniosi callidos recessus parum vitet in novosque iocos provocet. Nam nisi Lydus *deos* nominasset, Pistoclerus non potuisset impietatem scilicet magistri vellicare. Quapro- pter statim Lydus illud crimen a se amoliturus, quasi recan- tans superiora:

An deus est ullus suavis Saviatio?

Sua igitur ipsius vineta caedit apertus senex. Prorsus ἄδικος λόγος procalcat δίκαιον.

Respondet Pistoclerus:

*An non putasti esse unquam? o Lyde, es barbarus,
Quem ego sapere nimio censui plus quam Thalem.
I, stultior tu es barbaro Poticio,
Qui tantus natu deorum nescis nomina.*

Rursus plena haec iocorum. Primum virus habet illud o *Lyde, es barbarus*; ex ambiguitate. Lydi barbari: paedagogus nominis implet omen. Deinde discipulus aperte praeceptoris obiurgationem sibi exosam traducit, cum stultum eum esse, qui id aetatis deorum nesciat nomina, exprobrat. Nempe similiter statuamus oportet Lydum increpuisse discipulum in eundem modum, quod *tam grandis hoc illudve nesciret*. Vt nostri paedagogi: *Mein Gott, Junge, was soll aus dir werden! du bist schon so gross und weisst das noch nicht!* Postremo pulcrum illud, quod Pistoclerus vel sapientissimo non dico aequiperatum a se Lydum, sed praclatum Thaleti profitetur. Eius enim nomen exsuperantiam quandam sapientiae declarabat. Quare mirabundus Strepsiades Aristoph. Nub. 181:

*Τί δῆτ' ἐκεῖνον τὸν Θαλῆν θαυμάζομεν;
ἄνοιγ', ἄνοιγ' ἀνύσας τὸ φροντιστήριον,
καὶ δεῖξον ὡς τάχιστα μοι τὸν Σωκράτην.*

Sic in Avibus v. 1010. Pisthetaerus Metonis sapientiam, postquam is novae urbis ambitum scienter descripsit, admiratus exclamat: ἄνθρωπος Θαλῆς. Et apud ipsum Plautum Rudent. IV, 3, 75. Trachalio Gripo: *Stultus es*. Cui ille: *Salve Thales!* et Captiv. II, 2, 24. Tyndarus ad Philocratem:

*Eugepae! Thalem talento non emam Milesium.
Nam ad sapientiam huius ille nimius nugator fuit.*

Vt autem solet Plautus fabulis a se vorsiis barbare miro quodam temperamento domestica tamen admiscere et Romana, sic cum stultissimum dicit Lydum, *barbaro Poticio stultiorem* praedicat. Quod quorsum pertineat docebit Livius I, 7. IX, 29.,

Festus p. 137. et 217. Mueller., Buttmann. Mythologo II, p. 294 sqq. et Hartung. de relig. Romanor. II, p. 29 sqq.

Tam forti discipulo iam paene obmutescit Lydus, certamini impar. In angustias compulsus abrumpit superioris sermonis filum et, ut solent in eiusmodi discrimine homines, oratione callide aliorum conversa:

Non hic placet mi ornatus.

Nasutulus adulescens:

Nemo ergo tibi

Haec apparavit: mihi paratumst, quoi placet.

Lydus ira excandescens:

Etiam me adversus exordire argutias?

Qui si decem habeas linguas, mutum esse addecat.

Iterum exorsum argutias Pistoclerum Lydus refrenat docte in usum vocato versu Homericō, quem scholarchali voltu promit, iuveni probe notum:

Οὐδ' εἴ σοι δέκα μὲν φωναί, δέκα δὲ στόματ' εἴεν.

Nempe Lydus quoque docebat *Iratus Graiis quantum nocuisset Achilles.*

Pistoclerus rursus ad sententiam communem delapsus se iam non scholae ait sed vitae scilicet studere:

Non omnis aetas, Lyde, ludo convenit.

Magis unum in mentest mihi nunc, salis ut commode

Pro dignitate opsoni haec concuret cocus.

Hoc vero par est peracescere. Lydus quippe frequenter instigans puerum corripuerat trito illo: *Was Häschen nicht lernt etc. Nunc naviter discce, dum puer es. Non omnis aetas discendo convenit.* VI Menander Sentent. singul. 104. *Γύμναζε παῖδας· ἄνδρας οὐ γὰρ γυμνάσεις.* Et 354. *Μέμνησο νέος ὧν ὡς γέρον ἔσει ποτέ.* Denique 373. *Νέος πεφυκώς πολλὰ χρηστὰ μάθαινε.*

Acerbius illud, quod nomen paedagogi ludo assimilavit. Vti similiter fecit, sed diversam ob causam, in Diris Cato v. 107. (v. 4.) *vobis mea Lydia ludit*, de quo admonuit Naeckius Opusc. I, p. 321.

Iam Lydus desperabundus universe ingemiscere.
Iam perdidisti te atque me atque operam meam,
Qui tibi nequiquam saepe monstravi bene.

Pistoclerus contra iam aperte:

Ibidem ego meam operam perdididi, ubi tu tuam.
Tua disciplina nec mihi prodest neque tibi.

Tandem Lydus hominis rabiem videns, qui ad omnia monita obduruisset, exclamat:

O praeligatum pectus!

De industria Plautus tumide et ut fere solent virtutis verae custodes vetuli facit loquentem, pariterque v. 41. Miseratur enim Lydus quasi veneficiis quibusdam fascinatam Pistoclerum et incantamentis defixum atque constrictum. Tum Pistoclerus:

Odiosus mihi es.

Tace atque sequere, Lyde, me.

Paedagogus quasi ad tertium quendam conversus:

Illuc sic vide,

Non paedagogum iam me, sed Lydum vocat.

Adeo discipulus reverentiam deposuerat, ut honorificam *paedagogi* appellationem omitteret, *servi* nomine uteretur. Pistoclerus:

Non par videtur neque sit consentaneum,

Cum erus intus siet et una cum amica accubet

Cumque osculetur et convivae alii accubent,

Praesentibus illis paedagogus ut siet.

Lydus etiamtum meliora sperans istas nequitias vix credulis auribus accipit:

An hoc ad eas res opsonatumst, obsecro?

Ibi tum Pistoclerus rursus ex penu domestico memorialem versiculum promit, quo paedagogum ludificetur:

Sperat quidem animus: quo evenat dis in manust.

Ecce, nova parodia. Religione deorum mentem Pistocleri imbuturus magister res hominum in incerto esse commonefecerat. Pellucet versiculus celebratus. Compara praeter Homericam *θεῶν ἐν γούνασι κείται* maxime Pindarum Olymp.

XIII, 104. *Νῦν δ' ἔλπομαι μὲν, ἐν θεῶν γε μὴν τέλος.* Nostratum illud: *Der Mensch denkt, Gott lenkt.*

Lydus:

Tu amicam habebis?

Pistoclerus:

Cum videbis, tum scies.

Iterum gnoma in eam sententiam, non esse rumori et vagae famae fidem habendam, sed utendum esse oculis. Ita senex praeceperat discipulo, ut ipse res explorare assuesceret. (Infra ipse Lydus III, 3, 65.

Quin ego cum peribat vidī, non ex audito arguo.)

Exacerbatus Lydus:

Inmo neque habebis nec sinam: iturus sum domum.

Pistoclerus:

Omitte, Lyde, ac cave malo.

Lydus:

Quid, cave malo?

Similiter puta Lydum saepe minitatum esse discipulo: *Cave malo! Nimm dich in Acht!*

Pistoclerus:

Iam excessit mi aetas ex magisterio tuo.

Nunc Lydus impotens sui:

O barathrum, ubinam es? ut ego te usurpem lubens!

Video nimio iam multo plus quam volueram.

Vixisse nimio satiust iam quam vivere.

Magistron quenquam discipulum minitarier!

Nil moror discipulos mi esse iam plenos sanguinis.

Valens afflicta me vacivom virium!

Advertas artem poetae, qui Lydum tristissimis cogitationibus huc illuc iactatum dolorem suum quasi frustatim prodentem fecerit ita, ut singulis versibus comprehendat sententias easque coacervando manifestet, quanta animi perturbatione agitetur. Et primi quidem versus facile agnoscitur color Homericus: *νῦν μοι χάνοι εὐρεῖα χθών!* Sed doctius barathrum nominat, in quod Lacones et Athenienses maleficos detru-

dere solere exposuisse credendus est discipulo. Praeterea de industria ad tumorem exaggerata oratio: *nimio multo plus, nimio satius*. Grammaticum sapit illud *Vixisse quam vivere*, licet id similiter usurpatum extet Captiv. III, 3, 17. Ultimus denique versus revocat in memoriam et locum Aristophaneum Nub. 1104., ubi *δίκαιος λόγος* ab *ἀδίκῳ* victus ad spectatores fugiens ait: *ἤττημέθ', ὃ κινούμενοι κ. τ. λ.*, et alterum eiusdem fabulae locum v. 1323 sqq., ubi Strepsiades a filio Phidippide male mulcatus ex aedibus prorumpit, auxilium imploraturus vicinorum.

Pergit Pistoclerus, nihil remittens de irrisiois acerbitate:

Fiam, ut ego opinor, Hercules, tu autem Linus.

Ex scholis mythologis haustum exemplum, quod Pistoclero in tempore succurrit. Lydus enim quo debitam magistro observantiam pietatemque discipulo instillaret eumque ab impietate deflecteret, male grati Herculis exemplum advocabat, qui Linum paedagogum lyra necasset. Linum Herculis magistrum in citharizando fecerat Alexis in Lino fabula: *γράμματα τὸν παῖδα γέροντα Λίνον ἐκδιδάξει* narrat poeta Theocriteus XXIV, 103. Sed is ab Hercule, quem ad mitiorem cultum revocare frustra conatus esset, *τῇ κιάρῃ πληγείς ἀπέθανεν*, Apollod. II, 4, 9.

Tum Lydus aliud potius exemplum sibi et Pistoclero convenientius esse monet, par pari remuneratus:

*Pol metuo magis, ne Phoenix tuis factis suam
Teque ad patrem esse mortuum renuntiem.*

Nempe interfecto Achille Phoenix, qui ipsius paedagogus fuerat, seni Peleo nuntium mortis tulit. Hoc, quod num a quocumque praeterea narretur ignoro, aptissime transfert in Pistoclerum. Is quoque mortuus Lydo videbatur: qui cum iam antea minatus esset se ad patrem abiturum, hoc rursus infert. Pistoclerus autem nimis diu retentus et abire cupiens, cum pungi se ista comparatione sentiret,

Satis historiarumst

inquit, h. e. mittamus veteres isias historiae delicias, *Lassen wir den alten Schnickschnack.*

Lydus de Pistoclero tanquam de tertio aliquo:

Hic vereri perdidit.

Tum varie fluctuando ipsum compellans, mox ad spectatores conversus, denique ad Pistoclerum revolutus:

Compendium edepol haut aetati optabile

Fecisti, cum istanc nactu's impudentiam. —

Occisus hic homost! — Ecquid in mentem tibi,

Patrem tibi esse?

Haec quoque moribus paedagogi convenientissime. Primum ait Pistoclerum ἀπολέσαι τὸ αἰδέσθαι. Tum ipsum alloquens, profecto ista impudentia assumpta non fecisse lucrum aetati suae. Deinde *occisum esse*. Nempe ut ipse infra III, 3, 80.

Nam ego illum perisse dico, cui quidem perit pudor.

Postremo fortissime eum corripit admonitione patris. *Was wird der Vater dazu sagen? Wenn das dein Vater wüsste! Hast du denn vergessen, dass du noch einen Vater hast!*

Sequentia ostendunt Lydum tandem eo adductum perlinacia erilis filii, ut in dispoliabulum Bacchidum abeat una. Sic enim postulabat ratio fabulae. Sed ex *Orco* ubi emerit *seque continuo contulit protinam in pedes*, patrem Philoxenum flagitia filii edocet. Ibi quoque poeta Sarsinas rigidissimi virtutis satellitis personam egregie sustinuisse censendus est, simulque exemplo declaravit illustri, quam iniqua vel a filiis erilibus vel a patribus usi sint condicione iam prisci doctores. —

Plautinas facetias accuratius perlustrantem aliquoties λόγον ἀδίκου cum διαίτη concertatio ultro in comparationem Aristophanis vocavit. Neque dubium potest esse, quin Plautus cum ista scriberet Aristophanicae fabulae speciem ob oculos habuerit. Luculentius quidem imitationem Aristophaneam arguunt ea, quae infra Act. III. scen. 1. ad exemplum Nubium v. 962 sqq. de diversitate vetustae institutionis et noviciae conqueritur Lydus. Sed ne illa quidem superiora exemplar Atticum dissimulant. Plautus igitur vel is poeta Graecus, ex

quo haec derivavit, quae apud Aristophanem eadem scena continentur, in duas scenas partitus est. Quarum altera ad victum ab ἀδίκῳ λόγῳ δίκαιον liberius conformata est, altera ad utriusque λόγον de educatione iuvenili certamen propius assimilata. Haec quoque monstrare videntur, Bacchides ex fabulis contaminatis esse, quod *Ladewigius* in eximia *de Volcatii Sedigiti canone* commentatione nuper posuit, explanare noluit.
